Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26157
Copyright: Admont, Benediktinerstift

65

In sabbato sancto Zosimus papa cereum magnum constituit benedici. quem et ante benedictionem illuminandum esse et in octava pasche populo distribuendum ad suffimigandum rebus eorum. Quem diaconus accepta benedictione ab aliquo sacerdote debet benedicere. Duodecim lectiones iuxta romanum ordinem legende sunt absque titulis ante baptismum vel post baptismum presbyteri. Demum missam si necesse fuerit privati celebrent. quia iam renati sunt de quibus specialiter in missa agere debemus. nec alia lectio post ea quas audivimus. sed a letania incipere solemus.

liiii De Paschali observatione. LIIII.

Iuxta romanam auctoritatem agnus in pascha benedicitur non ad altare sed ad communem mensam. Credo in unum et alia huiusmodi cottidie usque in octavam dicimus ut in die sancto. Versum Benedictus qui venit in V. feria. Lapidem quem in VI. feria congrue dicimus in quo dominus a iudeis reprobatus est. In sabbato infra octavam pasche. alleluia. Vespere autem sero die illa ad vesperam cantatur. eo quod idem evangelium apud antiquos usque ad Thomas autem in eodem sabbato legebatur. sicut adhuc breviaria evangeliorum testantur. Ad hanc vesperam feriales psalmi dicuntur cum alleluia et in nocte dominica nocturni et novem lectiones iuxta romanum ordinem. et sic deinceps feriales psalmi et ad vesperas et ad nocturnos cum alleluia dicimus. nisi festum occurrerit .VIIII. lectionum. Septimam ad matutinas laudes. Dominus regnavit recitamus. Sed quia quam plures omnes dies usque in octavam pentecostes cum tribus tantum lectionibus et psalmis celebrare voluerunt. operepretium est ut ad auctoritatem sedis apostolice recurramus et inde quid nobis agendum sit exploremus. unde totius christiane religionis formam accepimus. Gregorius papa constituit de hac causa tale statutum. In die resurrectionis inquid usque in sabbatum eiusdem ebdomade tres psalmos ad nocturnos .III. tantum lectiones antiquo more cantamus et legimus. Omnibus aliis diebus per totum annum si festum est .VIIII. lectiones et totidem responsoria dicimus. aliis autem diebus .XII. psalmos et .III. lectiones recitamus. In diebus dominicis .XVIII. psalmos exceptis de pascha et pentecoste et .VIIII. lectiones dicimus. Hoc etiam iuxta ordinem usquequaque fieri ita statuimus ut supra notavimus. In octava pasche hystoriam Dignus es et apocalipsim iuxta romanum ordinem incipimus. Cap. LV. .lv

De festis infra Paschale tempus.

Ab octava pasce usque in pentecoste in festo tantum responsoriorum unum alleluia tantum .VIIII. vero lectionum duo alleluia ad missam cantamus sive de resurrectione sive de alio festo. Et cum duo alleluia dicimus non primum sed secundum repetimus. Prefationem usque in ascensionem non omittimus. quia die ac nocte paschale festum celebramus. Incongruum enim esset ut prefationem ferialiter solam et alia